



DISPVATIO IVRIDICA

De

IVRE EMPHY-
TEVTICO:

QUAM

*Adminiculante Sacrosanctæ Triados
Numine,*

In almâ & floridâ Argentoratensium Vniuersitate
Sub umbone

Amplissimi, Clarissimi, Viri,

DN. CASPARI BITSCHII,

I. V. D. CONSVLTISSIMI, PANDECTA-

RUM IBIDEM PROFESSORIS CELEBERRIMI,

p. t. Facultatis Juridicæ Decani Spectabilis, Præce-
ptoris & Promotoris sui ex imo cordis re-
cessu suspiciendi.

*Publicè euentilandam proponit, &
defendere conabitur*

ZACHARIAS Picke BVDISSINVS.

In Auditorio ICtorum 3. Iulij horis consuetis.



ARGENTORATI

EXCUDERAT PAULUS LEDERTZ.

Anno M. DC. XXII.

37.
312.

37

1622, 1.



REVERENDISSIMO, SE-
RENISSIMO, CELSISSIMOQUE
PRINCIPI AC DOMINO,

DN. CHRISTIANO
GUILIELMO,

POSTVLATO ADMINISTRATORI, AR-
CHIEPISCOPATUS MAGDÆBURGENSIS,
PRIMATI GERMANIÆ, COADIUTORI EPISCOPATUS HAL-
BERSTADENSIS, MARCHIONI BRANDEBURGENSI, BORUSSIÆ,
JULIÆ, CLIVIÆ, MONTIUM, STETINENSIVM, POMERANIÆ,
CASSUBIORUM, VANDALORUM, ET IN SILESIA CROSNAË ET
JEGERNDORFFII DUCI, BURGGRAFIO NORIMBERGENSI, PRIN-
CIPIS RUGIÆ, COMITI DE MARCA ET RAVENS-
BURG, DOMINO IN RAVENSTEIN, DOMINO
SVO CLEMENTISSIMO.

*Hoc quicquid est exercitiij Academici, in ævi-
ternum calidissima devotionis, & subje-
ctionis hostimentum, submisso pectore
sacrum & dicatum statuet.*

Zacharias Picke Budissinus.
A. & R.



DISPUTATIO IVRIDICA.



Um cognitio Iuris Emphytevtici propter materiæ amplitudinem & difficultatem, in Academiis, lectissimos & iucundissimos pariat discursus, (nam de eo multi varia & diversa statuunt) & uberrimos in foro ferat fructus; nemo, ut puto, vitio nobis vertere poterit, si aliquid studii & operæ in illo investigando collocaverimus. Sicut enim ignis latet in silice, nec apparet, nisi excutiatur: ita etiam veritas latet in diversis rei circumstantiis, nec prius percipitur, quàm si disputando eruatur. Itaq; ut in nobilissimâ juris Emphytevtici materiâ veritas elucescat, de eâ in præsentis disputationis discursu breviter verba faciemus.

THESIS I.

Dicitur autem Emphytevtis ἀπὸ τῆ ἐμφυτεύειν, quod est implantare & inserere, germina ponere, ac, per Metaphoram, meliorare: atque sic à præcipuâ agriculturæ parte nomen huic juri impositum est, *Wesenb. parat. ff. si ager veët. n. 2. Myns. in §. adeo. Inst. d. locat. & cond. n. 1. Nobiliss. Dn. D. Gothofred. in l. 1. C. de Iur. Emph. lit. r.*

2. Non itaq; Etymologia Speculatoris probanda: desumpta ab En quod est in & fiscos, id est fides, quasi in fidem suscipientis tradatur res Emphytevtica, ut eam deteriorem fieri non patiat: ut *Auth. qui rem. & Auth. hoc jus porrectum C. de SS. Eccl. sed utiq; meliorem reddat, l. final. ibi meliorat. C. d. t. c. poruit, locat.* Alioquin si id non servaverit, jure suo cadat. *d. Auth. qui rem.* Sed licet hæc vera

A 2 sint,

fiat, derivatio tamen est inepta & à græci sermonis ignavis fabricata, quemadmodum rectè statuit *Valasc. in Thes. Jur. Emph. quaest. 2.*

3. Est Contractus juris civilis nominatus, quo, scripturâ interveniente, quæcunq; res immobilis, utenda, fruenda ad tempus longum, vel in perpetuum eâ lege conceditur, ut Dominus retentâ prædij proprietate certam quotannis pensionem consequatur, alter verò rei utilitate perceptâ eam cultiorem & meliorem reddat, §. 3. *Inst. d. locat. & cond. l. 1. & t. t. Cod. de Jur. Emph. Dn. susceptor meus Treutlerus p. 1. d. 29. th. 9. Obrecht. h. disp. th. 9.*

4. Estq; Emphyteusis vel Ecclesiastica vel Civilis, *Wesenh. hic in parat.* Ecclesiastica quæ à Clerico vel à Prælato de rebus Ecclesiæ; Civilis quæ à Principe, civitate, municipio, vel privato quoq; constituitur.

5. Civilis ratione materiæ subdividitur in publicam & privatam: utraq; in novam vel antiquam. Nova est, quæ ab eo primò originem trahit, qui de eâ vult disponere: Antiqua est, quæ ab alio ascendente acquisita & in eum devoluta est, qui de eâ vult disponere. *Obrecht. d. disp. th. 10. & seqq.*

6. Emphyteusin alicui nemo sui nomine concedere potest, nisi agri vel prædij Emphyteutici Dominus, §. 3. *Inst. d. locat. & cond. l. 2. & 3. C. de Jur. emph.* Ratio est, quia nemo plus juris in alterum transferre potest, quàm ipse habet, *l. nemo § 4. ff. d. R. I.*

7. Omnes autem personæ tum Ecclesiasticæ, ut sunt Clerici & prælati Emphyteusin alteri concedere possunt. *Nov. 7. cap. 3. Nov. 120. cap. 5. & 8.* tum seculares, ut sunt principes, civitates, municipia, vel privati, quocunq; veniant nomine, *d. §. 3. Inst. de locat. & cond. l. 1. & seqq. C. de Jur. emph.*

8. Ideoque non absurdè DD. ex eo colligunt, civitates & municipia primò fundos in Emphyteusin concessisse, propter hanc rationem quia res communes ut plurimum negliguntur, idq; certis personis fundos ejusmodi tribuerunt, ut & agri cultione, & calamitatum periculo, quæ multæ accidere solent, liberarentur, *l. 1. ff. si ager vect. pet. l. domus 7. §. ult. ff. de legat. l. si finita 15. §. si de vectig. ff. de damn. inf. Canon. in comm. Jur. civil lib. 7. c. 12. n. 1. & c.*

9. Cum verum sit, eum qui liberam rerum suarum alienationem non habet, Emphyteusin in iis concedere non posse, *l. ult. C. de*

C. de reb. alien. non alienand. rectè infertur pupillum, absque tutoris sui autoritate & magistratus decreto in prædiis suis Emphytevsin alicui non jure constituere, l. ult. ibi sed etiam ususfruct. dat. C. de reb. alien. non alien. l. 3. §. nec ususfruct. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cur. sunt.

10. Quò facit, quòd nec suam Emphytevsin sine decreto alienare potest, *d. l. 3. §. jus ff. d. s. & l. etiam vectigale 13. C. de Prædiis & aliis reb. minor.*

11. Eadem ratio militat etiam in pubere, qui licet sine curatoris sui cõsensu ex stipulatu obligetur. *l. Puberes 101. ff. d. verb. oblig. in Emphytevsin tamen absq; curatoris consensu ac magistratus decreto prædia sua alicui dare nequit. l. 4. d. l. etiam 13. & tot. tit. C. de Præd. minor. l. si fundus 13. in pr. ff. d. reb. eor. qui sub tut. sunt.*

12. Cum verò omnes personæ Emphytevsin suscipere possint, non prohibet, & ad solvendum canonem Emphytevticarium idoneæ, *l. 3. vers. hui tamen pers. C. h. t.* sequitur pupillum & minorem sine tutoris autoritate, vel consensu curatoris prædium aliquod in Emphytevsin accipere posse: ita tamen ut hos ad Canonis præstationem, antequam tutor vel curator actum pupilli vel minoris comprobãrit, sic obligari negemus, *Inst. de Authorit. tut. in pr. vers. unde in his caus. l. Iulianus 13. §. si quis à pupill. 29. ff. de act. empr. & vend. Dn. Bocer. Clas. 1. disp. 15. th. 10.*

13. Emphytevsis propriè consistit super rebus soli, seu, ut vocant, immobilibus. *§. adeo Inst. locat. l. 15. §. 26. d. damn. inf. Nov. 120. c. 1. §. ult. Auth. si quas. C. de SS. Eccl. §. licentiam Auth. de alienand. §. Emphyt. coll. 2. Azo in summâ C. eod. Bald. in l. 1. C. d. t.*

14. Ex res quæ prædiis iisdem coherent ut sunt ædes, mancipia rustica, annonæ civiles, non aliter quàm cum ipsis fundis in Emphytevsin dantur *l. si finita 15. §. si de vectig. ff. de damn. inf. Nov. 7. c. 3. §. scire autem. Donell. lib. 9. c. 13. pag. 444. d. Nov. 7. c. 3. in pr. vers. alit. aut. l. si quis inquilino ff. de legatis 1. Cujac. in Modest. lib. 16. diff. pag. 98.*

15. Constituitur autem Emphytevsis quatuor modis: ultimâ voluntate, pactionibus, præscriptione, & successione. *Vide Coll. Arg. h. disp. th. 21.*

16. Ultimâ voluntate quis alicui Emphytevsin constituere dicitur, cum testamento, vel codicillis vel donatione mortis causâ, cuius fundum suum, pro certâ annuâ pensione heredi præ-

standa fruendum jure Emphiteutico concedit *l. ult. §. ult. C. de Codic. l. ult. C. de donat. mort. caus. l. à Titio 64. ff. de furtis. Donell. lib. 9. commēt. t. 3. pag. 444. circa finem.*

17. Quod si eam desideret, petere ipsam poterit ab herede constituentis competentibus actionibus vel in personam vel in re. *l. 2. de publ. in rem act. §. 2. vers. vestra autem, Inst. de legat.*

18. Pactionibus verò id præcipuè agitur ut Dominus rentà proprietate, acceptoq; in recognitionem domini, ut vocant, directi, annuo canone, ad tempus vel in perpetuum fundum utendum, colendum concedat. *d. l. si ager vectig. l. 1. C. de Iur. Emph. d. §. adeo 3. Inst. de locat. cond.*

19. Sicut verò in omnibus aliis negotiis & contractibus, pactis omnibus modis standum sit. *l. 1. §. 6. ff. depositi. l. 52. d. tit. ita in hoc contractu maximè: nisi videatur pactum substantiam contractus oppugnare, quo casu de jure subsistere non potest, sed aliam naturam contractus induit & assumit. l. 12. d. precario. l. 3. Cod. de contrah. empt. §. 1. Inst. de Empt. & vent. Sichard. n. 4. C. de Iur. emph. Magnif. Dn. Treutl. pia memoria p. 1. d. 29. th. II. lit. A.*

20. Quocirca si inter Dominum & Emphytevtam aliquid conventum sit de casu fortuito, merito id est servandam; nam contractus ex conventionem legem accipiunt; aliàs regulariter damnū rei Emphytevticæ particulare ad Emphytevtam, sicut totius rei fatale damnū ad ipsum dominum pertinet, *l. 1. C. d. jur. Emph. Borch. in tract. de feud. c. 3. n. 3. Bocer. dict. lo. Schneid. ad §. adeo Inst. de locat. 8. cond. Anto. Mattheus. in Coll. Pandect. disp. 1. thes. 12. Dn. Præceptor meus Guil. Forst. disp. 18. th. 9.*

21. Quod in tantum verum est, ut licet ultra dimidiam partem perierit: Emphytevtæ tamen Canon non minuatur: sicut nec augetur si quid fundo per alluvionem, vel alio quovis modo accesserit, nam id ad Emphytevtam jure Emphyteutico spectat, *per l. item 9. §. huic vicinus ff. d. usufruct. arg. c. unic. §. 5. si de Invest. feud. 1. a son. d. l. 1. num. 79. C. h. t.*

22. Constituitur etiam & acquiritur Emphytevtis præscriptione longissimi temporis, 30. vel 40. annorum, si quis fundum quendam à non Domino in Emphytevtin acceperit. *arg. c. 1. §. 4. si de feud. de contr. sit l. 3. §. 4. C. de Præscr. 30. vel 40. ann. Auth. quas act. C. de SS. Eccl.*

23. Et si

23. Etsi verò, qui quotannis Canonem solvit, jus Emphyteuticum in fundo acquirere possit: non tamen perinde qui longissimo tempore, nihil omnino præstitit, immunitatem à pensionis præstatione consequitur, *l. 7. §. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Mynsing, 3. observ. 13. Gail. 2. obs. 73. in pr. Treutl. d. disp. 22. th. 3. lit. I.*

24. Quod formam & modum successio-
num Emphyt. at-
tinet jus commune servandum est, ita ut tam masculi, quam fœmi-
næ pari ratione admittantur. Quemadmodum evincit *Nov. 7. c. 3. pr. arg. l. 41. C. de lib. præ. Clarus lib. 4. sent. §. Emphyt. q. 32. in pr.* Et licet quidam statu-
ant, si Emphyteuta emphyteuticam acceperit, pro se & fi-
liis, fœminas excludi: ista tamē sententia vel ideò probanda non vi-
detur, quòd solus dominus legem rei suæ possit dicere, sibiq; impu-
tare debeat, quòd legem conventionis non apertius dixerit: cum
utiq; aliàs filiorum nomine filia quoq; contineantur. *l. 16. ff. de te-
stam. tut. l. 122. ff. d. verb. signif. Ampliff. Dn. D. Mejer. Coll. Jurid. Arg. h. disput. thes. 30.*

25. Sicut jure gentium dominium non nudis pactis sed traditionibus transfertur: ita nec jus Emphyteuticum, sine tradi-
tione rei Emphyteuticæ *l. possess. 12. in fin. C. de fund. Patrimon. Obrech. h. disput. thes. 73.*

26. Quod in tantum verum est, ut si Dominus post con-
tractum interpositum & re futuro Emphyteuticæ nondum traditæ,
alij rem vendiderit & tradiderit, nullum Emphyteuticum jus pri-
ori in re illà competat: quia hoc traditione in posteriorem trans-
latum: ideoq; ex priori contractu adversus Dominum & ejus here-
des saltem actio in id, quod interest rem traditam non fuisse com-
petit, *arg. l. quoties 15. C. de rei vind. Obrecht. hac disp. th. 75. Coll. Jurid. Arg. d. disp. th. 36.*

27. Scriptura in hoc contractu potius, quam in aliis re-
quiritur, quia, ut in definitione posuimus, in Emphyteuticis res et-
iam in perpetuum vel in longum tempus dantur, ac proinde sine
scripturâ vix ac ne vix quidem memoria rei gestæ extare posset, sed
fides eorum, quæ forsan pacta sunt, mortuis testibus in hoc contra-
ctu adhibitis cursu temporis plane vacillaret. *l. 1. ibi conceptionem
& c. C. h. t. Donel. lib. 9. comment. c. 13. & lib. 13. c. ult. Fach. lib. 1. Controv. c.
84. Bocerus ad l. 23. c. 4. n. 9. ff. d. R. I. Schrad. de feud. p. 2. c. 2. n. 53. Ampliff
Dn. Gothofr. in l. 1. C. de l. Emph.* 28. Est

28. Est & specialis forma contractus Emphytevtici, si res Ecclesiæ vel alterius venerabilis domus in Emphytevsin detur; nam præter scripturam publicum instrumentum hic etiam desideratur. *Nov. 7. in pr. §. 1. vers. ult. Nov. 120. c. 5. & 6. l. 17. §. 2. C. de SS. Eccl. l. ult. C. de donat. mort. caus. Covarr. lib. 2. var. resol. c. 17. & alij*

29. Dari autem Emphytevsin vel simpliciter vel ad longū tempus vel in perpetuum supra in definitione, ad quam lectorem remitto, fuit explicatum.

30. Simpliciter data non tantum ad Emphytevtæ filios, filios, nepotes, neptes & reliquos descendentes, sed etiam ad extraneos transit, si sit secularis. *Nov. 120. c. 6. §. 1. ut communiter DD. sentiunt, teste Iul. Clar. in commun. sent. §. Emph. q. 28. Non autem si sit Ecclesiastica. Nisi interpositum esset illud pactum, ut Emphytevsis etiam ad extraneos heredes transeat, vel talia verba in ipsa investiturâ sint posita, quæ id significare videntur. Nov. 7. c. 3. in pr. Obrech. d. disp. th. 91. Covarr. var. resol. l. 2. c. 17. n. 5.*

31. Si alicui generaliter ad certum tempus Emphytevsis conceditur, præsumitur concessio facta ad decennium, *arg. l. si præfinito, ff. de Pænis*. Si verò specialiter vel expressè ad certum tempus constituta sit, si civilis fuerit ad quoscunq; heredes, intra tempus illud præscriptum transit, si Ecclesiastica, deficientibus descendentes etiam ante tempus præfinitum ad Ecclesiam revertitur. *Borcholt. c. 3. n. 15. Clarus in d. §. Emphyt. q. 28. n. 3. Vide etiam Coll. Arg. hac disp. thes. 42.*

32. Si verò res alicui specialiter seu expressè ad certam detur generationem, puta ad secundam, tertiam vel quartam, tum siue civilis siue Ecclesiastica sit Emphytevsis ad solos descendentes & generationem concessam, & non ad extraneos transit. *Clar. q. 28. n. 3. Boc. d. c. 3. n. 16.* quia cum certo definitum sit quousq; transire debeat, satis apparet hîc esse consistendum. *Obrech. h. disp. th. 108.* Contractus enim ex conventionem legem accipiunt. *l. 1. §. si conuenit ff. Depositi.*

33. In perpetuum constituta Emphytevsis si fuerit civilis ad quosvis heredes: Ecclesiastica tantum ad descendentes, etiam ultra tertiam generationem transit. *Nov. 120. c. 6. Nov. 7. c. 3. in pr. ibi, traditum est solos descendentes succedere, ut rectè colligit. Obrech. d. disp. th. 105. & seqq.*

34. Et si

34. Etsi autem Emphytevta rem à Domino habendam & fruendam acceperit, nihilominus Dominus rei proprietatem servat, *t. t. C. de Iur. Emph.* unde perpetuo rei Dominus appellatur, §. *adeo Inst. de locat, & Cond. l. 1. & 3. C. de Iur. Emph.* in cuius recognitionem etiam quotannis constitutam pensionem, (quæ aliàs vectigal dicitur *l. 1. & 2. ff. si ager vect. pet. l. si vectigali 31. ff. de Pignorib.* interdum Canon *l. ult. C. h. t.* interdum Emphytevma interdum τὲλ & tributum ab *Harmenop. lib. 3. tit. 4.*) in fine anni percipit. *l. 2. in verb. solut. pens. C. h. t. Iul. Clar. lib. 4. sent. §. Emphytevs. quest. 12. n. 1.*

35. Quia finis à parte Domini est, ut prædium in Emphytevfin datum reddat melius & cultius, & ab Emphytevtâ annuam pensionem accipiat; propterea si deterius redditur, de eo ei jci potest, non aliter ut conductorem, qui in re conductâ malè versatur quoq; ex pelli videmus, *l. 3. C. de locat. cond.*

36. Econtra Emphytevta jus habendæ & detinendæ rei accipit, §. *adeo 3. Inst. d. locat, & cond. l. 1. ff. si ager vect. pet.* Et quod magis est, licet fundi vectigalis non sit Dominus *d. l. 1.* quia tamen in re Emphytevticâ jus Domino proximum habet, idcirco eâ amissâ utilis vindicatio datur, adversus quosvis possessores. *l. tutor. 16. §. ult. d. Pignor. act. l. 1. inf. ff. si ager vect. pet.*

37. Ex commodis quæ in re Emphytevticâ comparata sunt Emphytevtæ est alienatio *l. 3. C. de Iur. emphyt.* At quamvis antiquitus Emphytevtæ libera erat facultas transferendi fundi Emphytevtici, quamdiu pensio solvebatur, postea tamen facultas alienandi etiam meliorationes restricta fuit, tum etiam alienationis conditione, arg. §. *adeo autem, Inst. de locat, & cond. & l. 1. in pr. vers. neq; his. ff. si ager vect. pet.*

38. Sunt autem duo genera personarum in quas hæc alienatio fieri non potest. Vnum est earum personarum in quas ne fieret alienatio in ipsa constitutione cautum est: alterum earum quæ non sunt idoneæ ad solvendum Emphytevticum canonem *l. 3. §. fin autem C. de Iur. Emph. Bocer. h. disp. th. 62. Donel. lib. 9. comm. cap. 13. pag. 444. & seqq.*

39. Consistit conditio alienationis in tribus: Primum est ut, si Emphytevta reperit aliquem qui velit emere meliorationes, vel jus Emphytevticum & pretium pro eo offerat, id domino testa-

eo denūciat eumq; pretio eodem emere volentem præferat. Et quidem duos menses ad deliberandum Domino relinquere jubetur, quo temporis spatio elapso & Domino non emente liberè jus suum transferre in aliū idoneū potest. *d. l. 3. v. 1. & seqq. C. d. Iur. emph. Bocer. d. disp. thes. 63.*

40. Quod tamen cum distinctione affirmo, statuendo denuntiationi nihil opus esse, si vel ipsi Emphytevtæ vel ejus heredi Dominus licentiam & potestatem in ipsâ investiturâ concesserit, idq; ex Emphytevtico instrumento satis liqueat. *d. l. 3. vers. 1. & seqq. C. h. r. Facit etiam pro nostrâ sententiâ l. si conuenerit 4. ff. de Pign. act.*

41. Deinde emphytevtata testato à Domino desiderare debet, ut is novum emphytevtam suscipiat, & eum in possessionem fundi Emphytevtici ipsimet inducat, attestacione autè factâ, si Dominus intra duos menses nihil concedat, licet Emphytevtæ etiam non consentiente Domino jus suum ad alios transferre *d. l. ult. vers. necessitatem. C. de Iur. emph. Donel. lib. 9. comment. c. 13. p. 444. & duab. seqq. Item pag. 453. lin. 10. & seqq. Coll. Iurid. Arg. d. disp. th. 58.*

42. Tertio novus emphytevtata ipsi Domino pro subscriptione & admissione offerre debet quinquagesimam partem, vel pretij si jus venditum sit, vel æstimationis si ex aliâ causâ alienatum. Quæ tamen quinquagesima Domino non debetur, si idoneum emphytevtam novum suscipere recusaverit. *d. l. ult. vers. & ne avaritia & vers. seq. C. de Iur. emph. Bocerus d. disp. th. 69.*

43. Amittitur emphytevtis variis modis, qui vel ex personâ constituentis id est Domini, vel ex personâ, accipientis seu emphytevtæ, vel ex re ipsâ, vel deniq; ex lege & conventionem juris constituti dependent. *Obrech. d. disp. th. 281. Coll. Iurid. Arg. h. disp. th. 64.*

44. Ex personâ constituentis amittitur, si constituens ad certum tempus tantū fuerit dominus: puta si Dominus in emphytevtis concesserit fundum cujus dominium solummodo ad vitam habet, veluti si fundum Majoratus concesserit: Ein Stamgut, vel si ejus habeat dominium usq; ad eventum conditionis cujusdam, certè mortuo ipso domino vel conditione existente finitur emphytevtis. Transit enim quælibet res cum suâ causâ & soluto jure dantis solvitur jus accipientis. *l. & post. 12. §. res qua ff. famil. ercisc. l. vectigali 31. ff. d. Pignor. l. 3. ff. quib. mod. pig. vel hypoth. solvit. Covarr. lib. 3. variar. resol. c. 5. & seq.*

45. A-

317.
45. Amittitur ex personâ accipiētis seu emphytevtæ. Si dolo vel culpâ emphytevticam rem deteriorē fecerit utpote arbores frugiferas incidendo, sylvas extirpando. *arg. l. 3. C. h. t. Nov. 120. c. 8.*

46. Quæ sententia non solum procedit in rebus emphytevticis, sed etiam in meliorationibus, *d. Nov. 120. c. 8.* adeoq; vera est, ut deterior facta per Patrē noceat etiã filijs vel aliis in investiturâ cōprehensis, ut rectè docet *Ant. Gabr. in comm. opinio. l. 3. d. Iur. emph. cond. 2. num. 32.*

47. Sed probe notetur prædictam sententiam non simpliciter locū habere, nisi deterioratio sit magna, non modica, quia minima & modica non veniunt in considerationem *l. scio 4 ff. de in integ. rest.* nisi fortè in concessione rei emphytevticæ nominatim cōventū, ut re arbitrio boni viri utatur & eã meliorē efficiat, tunc n. pactū hoc operatur, ut levis etiã deterioratio emphytevtæ noceat. *c. si. papa. de priv. in 6. & l. si, quando 109. ff. de lega. 1.* Hoc casu amitteret fundū emphytevticū si duas saltē arbores fructiferas excideret. Deterioratio autē esse debet in proprietate nō in fructibus, propterea emphytevtin non amitteret, si unã macinã de fundo emphytevtico removisset, quia hoc nō Domini, sed emphytevtæ damnū cōcernit *secund. Roland. à Valle, conf. 49. n. 21. vol. 2. Et Decium in l. contract. 23. n. 98. ff. de R. I.*

48. Morte quoq; emphytevtæ tum naturali (quæ est discessus animæ è corpore teste *Cicerone lib. 1. Tuscul. quæst. vel ut Gellius l. 2. noct. attic. c. 8.* tradit *σώμα & καὶ ψυχῆς διάλυσις,*) tum morte civili cum civiliter pro mortuo habetur, (interire enim homines mediã vel maximã capitis diminutione dicuntur) *l. verū 63. §. ult. ff. pro socio,* jus emphytevticū, pro se & liberis quæsitum, si sine liberis decedat, amittitur ut *notat Obr. d. disp. th. 311. & seqq. Et Coll. Iur. Arg. d. loc. th. 70.*

49. Si emphytevtæ qui titulo donationis aut permutationis aut emtionis aut alio titulo emphytevtin acquisivit intra legitimū tēpus, id est duos mēses investiturâ nō petat, & laudemium nō solvat jure suo privatur, statuūt *DD. comun. in l. 3. C. de Iur. emph.*

50. Privatur etiam jure Emphytevtico Emphytevtæ, si Domino petenti renuit ostendere instrumentum, hoc enim modo præsumitur Emphytevtis finita, ut *not. Spec. in §. nunc aliqua. q. 14. in tit. de locat.* Nisi forte probet se per 30. annos canonem solvisse

uniformem quia tum Emphyteusis præsumitur perpetua, *arg. l. Prætor ait. §. edicti ff. Edendo. Obrech. d. disp. th. 331. Coll. Iurid. Arg. dict. disp. thes. 73.*

51. Amittit etiam emphyteusin si debitum canonem in civili intra triennium. *l. 2. C. de Iur. emph.* In Ecclesiasticâ intra biennium non solvit, *Nov. 7.* Addenda sunt ea, quæ notat nostri seculi Iurorum facilè princeps Gothofredus in *l. 2. ibi, totum triennium C. de Iur. Emph.* Quod idem est in apochis fiscalibus non redditis, *d. l. 2. Borch. c. 3. n. 18. de feud.*

52. Nec refert an interpellatus fuerit an non, debet enim ultro se offerre & debitum spontaneâ voluntate persolvere. *d. l. 2.*

53. Neque se tueri potest emphyteuta si Dominus generaliter promiserit non expellere se velle emphyteutam; quia ista tacita promissio non tollit ea, quæ emphyteuta ex naturâ contractus servare tenetur, sed in se tacitam hanc conditionem habet, si emphyteuta nihil committat, propter quod expelli possit *arg. l. quæro 51. §. inter locat. ff. locati. Vide Salicet. in d. l. 2. n. 3. & Albericum n. 4.*

54. Nihilq; nostræ assertioni obstat, licet res in emphyteusin concessa sit magni pretij, ac pensio minima quia *d. l. 2. C. de Iur. emph.* indistinctè loquitur, & in constitutione pensionis magis recognitio dominij, quàm emolumentum consideratur. Et quod de totâ pensione non solutâ dictum fuit id quoq; de parte est intelligendum ut *Decius affirm. in Auth. qui rem. n. 18. C. de SS. Eccl. Fach. I. Controv. 96.* Hanc quoq; communem esse dicit *Iason in l. 2. h. t. q. 16. num. 54. & c.*

55. Etsi ab initio contractus convenerit, ut si justo tempore Canon solveretur, Dominus pœnam stipulatus sit, emphyteutam tamen posse ei jci, tenet *gl. in d. l. 2. verb. repellere. C. h. t.* Non autem Dominus & pœnam petere & simul jure commissi uti potest, sed alterum eligere debet: nisi expressè actum sit ut utrumq; fieri possit, *arg. l. 28. l. 47. de act. empt. Quam sententiam D. D. communt. teste Iasone defendunt num. 144.*

56. Dominus post triennij cessationem oblatam pensionem recipiens juri expellendi non renuntiat, etiam si post elapsum tempus canonem simpliciter, non tamen futurum nullâ adhibitâ protestatione acceperit, quemadmodum statuit *Donel. in comment. Iur. civil.*

civil. lib. 5. c. 15. Bart. in l. 2. n. 8. C. h. t. Menoch. l. h. 3. presunt. c. 112. num. 1. cum seqq.

57. Si verò cum hac protestatione futurum canonem accepisset, quod nolit juri expellendi renunciare: Si emphytevta contradixerit: potestatio domini contrariâ emphytevtæ potestatione sublata fuit, in dubio verò rei emphytevticæ vindicatio remissa videtur, si aliàs emphytevta protestationi non consenserit. *Fach. lib. 1. Controv. 99. Obrecht. d. disp. th. 348. & seqq. Coll. Iurid. Arg. h. disp. th. 83.*

58. Et quia solutio pensionis non fit in recognitionem fructuum perceptorum, sed in recognitionem dominij, quemadmodum supra fuit dictum, sequitur quod nihilominus emphytevta jure suo cadat, qui sub magno canone & annuis fere fructibus respondente emphytevsin accepit, & qui sterilitatem passus est, si ob nominatam sterilitatem, per triennium pensionem non solvit, *arg. l. 1. C. de Iur. emph. C. potuit de locat. ubi Imola. n. 41.* Hanc sententiam communem esse dicit & multis prægnantibus rationibus defendit *Aur. Corbul. in tract. de caus. ex quib. Emphyt. jur. suo priv. Caus. 15, ampl. 12. n. 4. cum seqq.*

59. Quod adeo verum est, ut patre non solvente intra triennium id etiam obsit ejus filiis, *arg. l. 2. C. d. Iur. emph. Ruin. cons. 166. n. 12. & cons. 167. n. 28.* imò procedit si plures relinquat heredes, & unus eorum partem Canonis intra triennium non solvat, *gloss. in l. comm. divid. jud. 7. in verb. confundetur ff. Comm. divid.* Et si heres rem emphytevticam esse ignoret, *Treutl. p. 1. d. 29. th. 3.* interim tamen nõ negamus Prætorem ex magnâ & justâ ignorantia causâ opem ferre, *l. 2. ff. de integ. restit. Et §. si quis agens Inst. de act.*

60. Et quia unicuiq; licet juri suo renunciare, *l. pen. Cod. de Pact.* supradicta sententia locum non habet, si in investiturâ convenerit ne emphytevta ob pensionem non solutam expellatur, *d. l. 2. C. d. Iur. emph. & Salicetus n. 13.* Quia nihil magis naturali æquitati, convenit, quã ea quæ inter aliquos placuerunt servare, *l. 1. ff. de Pact.*

61. Et licet consuetudo sit in contrarium, ut ob non solutâ pensionem emphytevta expelli non possit, & aliàs regulariter obtineret; Consuetudo dare potest legem omnibus rebus existentibus in territorio cujusq; sint *secund. Abbat. Cons. 72. vol. 1.* Hæc consuetudo tamen non attenditur, si expressè aliud inter Dominum & em-

phytevtam convenerit, quia tum ab illa consuetudine recessum videtur, *secund. Beron. cons. 107. inf. & n. 8. vol. 1. Vide Obrech. h. disp. th. 379.*

62. Neq; etiam Emphytevsin amittit, si quis tanquam emphytevtæ procurator vel negotiorum gestor Domino canonem solvisset *l. solvendo 39. & l. quæ utiliter 45. in fin. ff. de negot. gest.* Hoc tamen locum non habet si Dominus nolit tertium qui ab Emphytevtâ nullum mandatum habet canonem solvere, *l. 1. & d. l. 39. in fin. de negot. gest. Iason. in l. 2. 70. q. 26. C. de Iur. emph.*

63. Quod si tamen Emphytevtâ intra temporale lege constituta domino pensionem offerat, dominus autem eam accipere recuset, ipse verò Emphytevtâ eam consignet & deponat eâ formâ, quæ ad liberationem debitoris præscripta est, omninò tutus efficitur, *l. 2. inf. C. de Iur. emph. l. acceptam C. de usur. l. obsignation. C. solut. Bocer. h. disp. th. 88.* Sic quoq; pœna commissi cessat si Ecclesiæ Emphytevtâ post biennium celeri satisfactione moram purgavit, *c. potuit, extra. locat. Coll. Iurid. Arg. h. disp. th. 92.*

64. A solutione canonis Emphytevtâ merito liberatur, si tota res Emphytevticâ interiit, *l. 1. ubi DD. commun. C. de Iur. Emphyt.* quia cum jus Emphytevticum non nisi in re aliquâ locum habeat, merito re non amplius existente jus quoq; illud intercidit quemadmodum statuit. *Obrech. h. disp. th. 388.*

65. Quia mutata rei forma res periisse affirmatur *l. repeti 25 §. ult. ff. quib. mod. ususfruct. vel usus amitt.* Emphytevsis etiam amittitur si rei Emphytevticæ forma mutetur, nisi fortè ad pristinam formam facillè redigi possit, *vide Montan. in d. l. 2. §. ita ut interdum C. h. t. quem sequitur Obrecht. h. disp. th. 402. Coll. Iurid. Arg. d. disp. th. 91.*

66. Finitâ Emphytevsis dominus fundum propriâ autoritate occupare potest, si Emphytevtâ confitetur se jure suo cecidisse, ut *Specul. tradit in tit. de locat. §. nunc aliqua q. 48. n. 64.* Si vero Emphytevtâ id negaret, propriâ autoritate fundum auferre nequit. *l. 31. de Pignor. & hypoth. ibi pronuntiatum confer. l. 13. ff. Quod met. caus.*

DEO OPT. MAX.

Incomprehensibilis essentia, immensa potentia, aeterna immortalitas, Fundatori conservatori & instauratori fundorum & dominiorum sapientissimo, qui non solum potentiorum pectora ad pacem probe colendam, dirigit & flectit, tristes inimicitias, sanguineumq; Bellona flagellum,

lum, quo florentis nostra Germania imago defœdatur discutit, atq̄ aure-
am pacem nobis clementer concedit, ut unusquisq̄, absq̄ timore ullo, sub
ficu suâ & sub vire suâ habitare possit, sed etiam nos pronuntiat liberos,
sanctos, coheredes Dn. nostri Iesu Christi & organa & templa Spiritus
Sancti, Laus honor & gloria Soli debetur in omne ævum.

AD NOBILEM, PRÆSTANTISSIMUMQUE

Dn. Respondentem, Juvenem lectissimum.

Ecce Budisina, BICCI, non ultima Gentis
Spes: patriæ, doctum quæ pridem claruit ore,
Æmule virtutis, generis non degener heres,
Si tua doctrinæ mens insatiabilis instet,
Hoc Duce, te Themidos sperat a trophæa sequentur.

Joh. Christoph. Meurer J. U. D.

II.

Acta, pacta placent, placentq̄ facta
BICCI, ceu cecinit Lufatus ille,
Musis & Themidi, & viris probatis,
Sed magis placet hoc, polite BICCI,
Musarum & Themidos quod Emphyteuta
Factus regna tenes locata Phœbi.
Felix ô frueri Emphyteuta regnis,
BITSCHI presidio sub expedito,
Sero prospiciens simul Nepoti.

Wohlsfrom à Rottkirch Eques Siles.

III.

BICCIVS ascendit cathedralia ligna secundum,
Dirige tu gressus numine sacra Themis.
Tu quoq̄, Iuris amor, legumq̄, verende sacerdos,
BITSCHI, confirma per sacra jura viam.
BICCIVS in patriæ crescit spes ampla salutem,
Dive, tuum studio, Balde, secutus iter.
Alma Themis, vittata comam, redimita capillos,
Quin indes BICCI fronde decente caput?
BICCI tu tantum vestigia carpe parentis,
Stat dea prompta, tuum surget in orbe decus.

M. Casparus Brülovius, Pom. P. L. Cæs. Poët. Prof.

IV.

Sufficiat prompsisse tibi, qua verso sub imo
 Pectore, BICCIADAE, candida vota, tibi:
 Strenuus Astrea quò porro castra sequaris,
 Et patria quondam lucidum agalma sis.

M. Paulus Gnilius Silesius Pr. Cl. X.

V.

Qua tua MEVRERO meruerunt praeside PACTA,
 BITSCHIVS Astreae nomine cuncta locat.
 Nam tibi sunt Themidos facta EMPHYTEVTICA BICCI,
 Regna: quid utilius jam domino esse queat?
 Transi ad heredes tam sacri gloria cultus:
 Nec pariet generi quis meliora suo.
 Sic semper Themidi, sic Musis Canona solve,
 Perpetuoq; tibi regna locata tene.

Fridericus Cuno Silesius.

VI.

Quod bene Iura colis longum, suavissime BICCI,
 Te quoq; Iura colunt Civica, teq; colent.
 Hinc iterum Claro Themidos nunc Praeside claram
 Ascendis Cathedram non sine laude Dices:
 Hinc vel SAXO TVVS vel patria Lusatia tellus
 Te DOCTORE olim ritè fruetur orans.

M. Jac. Bartschius Lauba-Lufatus, P. L.

VII.

Armis nonnè tuis stat vir instructus ab armis,
 Qui clavam, belli clarus in arte, rotat?
 An non ala simul se librat in aëre velox,
 Atq; corona auro quàm pretiosa niter?
 Domantis mirum nì mens praesaga futuri
 Tunc fuerit, generi cum dedit haccè tuo?
 Pallados auspicio nam postquam saepe vibrasti
 Armum divino fervidus ingenio,
 Nunc demùm rursus caput his offerre periclis
 Bicci, non dubitas, absq; cruore tamen.
 Perge ità, Bicciaci Rosa stemmatis, arduus esto,
 Sic alis fama pervolabit humum,
 Sic ego, sic mecum, radiat quèis pectore verum,
 Acclamabo modo verba sequente tibi:
 Ipsi es insignis, clarans insignia, Bicci,
 Dum das doctrina splendida signa tua.

M. Paulus Ulricus, SS. Theol. Stud.

Strapberg, Diss., 1693-22

ULB Halle

3


005 303 01X



V17







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

RIDICA

37.
312.

PHY-

37

O:

1622, 1.

Te Triados

sium Vniversitate

q, Vini,

ITSCHII,

PANDECTA-

CELEBERRIMI,

pectabilis, Præce-
mo cordis re-

roponit, &

DISSINVS.

oris consuetis.

RATI

S LEDERTZ.

XXII.

